

## ACTVS III

i MYSIS SIMO DAVOS LESBIA (GLYCERIVM)

*MY.* Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia :  
fidelem haud ferme mulieri invenias virum. 460

*SI.* ab Andriast ancilla haec. *DA.* quid narras? ita est.

*MY.* sed hęc Pamphilus . . . *SI.* quid dicit? *MY.* firmavit  
fidem. *SI.* hem.

5 *DA.* utinam aut hic surdus aut haec muta facta sit !

*MY.* nam quod peperisset iussit tolli. — *SI.* o Iuppiter,  
quid ego audio? actumst, siquidem haec vera praedicat. 465

*LE.* bonum ingenium narras adulescentis. *MY.* optimum.  
sed sequere me intro, ne in mora illi sis. *LE.* sequor.—

10 *DA.* quod remedium nunc huic malo inveniam? *SI.* quid  
hoc?

adeon est demens? ex peregrina? iam scio: ah  
vix tandem sensi stolidu'. *DA.* quid hęc sensisse ait? 470

*SI.* haec primum adfertur iam mi ab hoc fallacia :  
hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.

15 (*GL. intus*) Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.

*SI.* hui tam cito? ridiculum: postquam ante ostium  
me audivit stare, adproperat. non sat commode 475

divisa sunt temporibu' tibi, Dave, haec. *DA.* mihin?

*SI.* num inmemores discipuli? *DA.* ego quid narres nescio.

20 *SI.* hicin me si inparatum in veris nuptiis

adortus esset, quos mihi ludos redderet!

nunc hui(u)s periclo fit, ego in portu navigo. 480